



Disputatio medica inauguralis de sputo cruento

<https://hdl.handle.net/1874/343310>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SPUTO CRUENTO,

QUAM
FAVENTE DIVINO NUMINE
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
JOANNIS GEORGII GRAEVII,

Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-
ris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu; & Alma
Facultatis MEDICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
rite ac legitime consequendis,

Eruditorum examini subijcitur

NICOLAUS DANIEL OLDENIUS. HAMB.

Ad diem 18. Februarii hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, clō Ioc xci.

D E O

OPTIMO MAXIMO,

PATRONIS,

E T

FAUTORIBUS

SACRUM.

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Agraphi
Typographi, c. 1721.

P R O O E M I U M.



Anguinem ad totius œconomia animalis sustentationem perutilem ac summè necessarium esse, nemo sana mente præditus ibit insicias: siquidem fons vita nostra, ac fundamentum omnium corporis actionum dicendus merito est. Quamdiu hæc purpura vitalis suos non excedit fines, verum circulum suum per suos alveolos nimirum vasa arteriosa & venosa, sartum tectum servat, tamdiu viget machina humana, certumquè præbet indicium, sana esse omnia in corpore sano. Quam sanguinis utilitatem egregiè sanè describit Vir quidam Doctissimus in Eph. Germ. ann. v. 1. dum sic canit:

Purpureus cruor est, quo vivimus, atquè movemur,
 excellens animæ vis, hominisquè salus:
 Alveolis natura suis hunc fundit in artus
 corporis, & dulci membra liquore rigat,
 Cervet opus, ratioquè valet, pollentque lacerti,
 cumque novis certat forma serena rosis.

Verum enimverò uti in macrocosmo aqua non semper in terminis à natura præscriptis sese contineant, sed sæpè sæpius concitate transcendant, ac se diffundant adeo ut totæ regiones, urbes, pagiquè ab ipsis absorbeantur: Ita & constitutum est in microcosmo; etenim evagando hoc vite balsamo extra alveolos suos, aut largius e corpore profluendo, vim sanè non levem natura infert, labefactatur corpus, ac lesio totius machina presso pede succedit: siquidem qualis sanguinis constitutio, talis sanitas. Vera esse hæc fateri cogor, si omnia morborum genera pensculatius evolvo, qui morbi tanquam atrocissimi corporis humani hostes sunt. Ut nihil nunc dicam de vomitu cruento, quamam ex eo enormitates exsurgant; nec verba proferam de phthisi, empyemate, &c. qui affectus periculo pleni sunt, & homini ut plerimum mortem inferunt; verum tantum loquar de sputo cruento, morbo non minus molestissimo, quàm periculossimo, ac curatu difficillimo, in cuius naturam paulo latius inquirere, quantum tamen pro ingenio licebit, ipsumquè Disputationis Inauguralis loco proponere, in animum induxi. Faxit Deus, ut omnia feliciter succedant!

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
SPUTO CRUENTO,

THESIS. I.



Um juxta vetus illud Platonicum nomina sint essentiarum vehicula, ac quædam rei excogitata declarationes, non incongruum videtur, ut, methodo hoc inhærens, paucissimis verbis præmittam explicationem philologicam, ut eò melius innotescat essentia hujus affectus.

Sputum dicitur proinde cruentum, quod eo ipso sanguis, purpura illa vitalis expuatur. Latini appellant quoque sanguinis Sputum, rejectionem excretionem. Græcis modò audit *αιμοπλις* modò *αιμοπλιον*, *δαδ* τὴ *αιμαλ* à sanguine, & *πλι* spuo. Germ. Blusspiejung.

I I.

Varia autem reperitur sanguinis exspuitio, nunc ejicitur per vomitum, nunc eructat ex gingivis, quod Scorbuticis familiare, nunc profluit ex alia quadam parte; ob quam causam sumitur insignificatu latiori pro omni omninò sanguinis rejectione, à quacunque tandem causa ac parte affecta nimirum capite, ventriculo, liene &c. suam ducat originem. Considerato specialius sputo cruento, denotat tantum illam sanguinis excretionem, qui proximè ex partibus respiratori inservientibus oritur, ac foras per trachæam eliminatur; de qua excretionem in præsentiarum mihi erit sermo.

I I I.

Ex quibus perspectis elucet, quod sputum cruentum sit excretio sanguinis peros è partibus respiratori inservientibus cum tussi ac difficultate respirandi, ortum à vasorum sanguifluorum apertione.

Rationis

Rationis formalis vicem subit excretio scilicet illius rei, quæ minime esset excernenda, sed potius retinenda. Ex quo percipere licet militare hunc affectum sub symptomatum classe, & merito ad actiones læsas in excretis referri. Læsas esse actiones indicat difficultas illa respirandi. Læsas esse actiones in excretis, ex indignosci potest, quoniam sanguis, qui neutiquam ex his partibus deberet evacuari, rejicitur. Nam omnis hæmorrhagia juxta Sylv. *L. 1. pr. c. 40.* exceptis mensibus & lochiis præter ordinarium naturæ cursum contingit, cum talis à perfectè sanis non sit spectanda.

V.

Si materiam excretam inspiciam, nihil aliud esse quam sanguinem, fontem vitæ nostræ, offendo. Sanguis vero ejicitur mox rubicundus, floridus, ob recentem ipsius ex vasis profluxum, mox profluit tenuis ac pituita permixtus, mox conspicitur spumascens ob aërem violenta in tussi agitatione intimius unitum ac illi admixtum, nonnunquam sincerus aut congrumatus videtur. Sanguis hic non sereatu, non vomitu, non parva quantitate, verum tussiendo ab ore instar rivuli promanat, ut sæpè sæpius paucis horis una atque altera libra sanguinis excernatur. Sic observavit *J. G. Schenk. c. 111. obs. 68.* in viro quodam septuagenario, qui exspuerit ultra 10. libras sanguinis, & Prævotius annotante *Rhod. c. 2. obs. 31.* in quodam, qui 28. libras intra tres horas excreverit.

V I.

Subiectum hujus symptomatis constituunt partes respiratori inſer-
vientes, inter quas præ cæteris omnibus patitur pulmo, ventilabrum
illud aëris. Afligi pulmonem, testis est omnis medicinæ conditor
Hippocrat. v. aph. 13. αἷμα, inquit, *ἀφῶδες ἀνατίθειται τεταίοισιν ἐν
τῷ πνεύμονι,* ἢ *ἐκ τῆς ἀνατομῆς ἔλθεται,* qui sanguinem spumantem
extulsiunt. iis ex pulmone educitur. Hinc optimè quoque *Sylv. L. 1.
pr. c. 23.* dixit: quod, quoties sanguis ex pulmone prodiens tussi ex-
cernatur, toties peculiari nomine vocetur sanguinis sputum seu hæ-
moptoica passio. Sunt autem pulmones, teste oculatissimo Malpighio,
conflati ex multis tenuissimis ac subtilissimis membranis, dilatatis & re-
præsentantibus innumeras vesiculas, simillimas alveolis in apum favis;
quarum officium audit, haustum aërem recipere. Ad sunt in pulmo-
nibus etiam nervi à vago pari, quamquam exiles, & ratione magnitu-
dinis paucissimi, unde non sunt aded acutissimi sensus. Vasa sanguiflua,

nimirum arteria pulmonica quæ sanguinem è cordis thalamo adducit, & vena pulmonica, quæ sanguinem iterum reducit, dispergunt sese in varios ac ferè infinitos ramulos, adèd inter se complicatos, per totam pulmonalem substantiam, ut intimius perspicienti *Willis. p. 2. pharm. rat.* mirum videatur, nec concipere liceat, quomodo sanguis æstuans absque impedimento & ulla ruptura per illos subtilissimos ramulos defertur, & symptoma hoc non frequentius oboriatur. Vasa nunc hæc sangui fera præprimis arteriosa afficiuntur, quamquam minimè negandum erit, vasa etiam venosa posse contentum sanguinem profundere, si à vulnere, casu &c. sint disruptæ.

V I I.

Viso jam loco atque subjecto, quod hic affligitur, inspiciendæ nunc sunt causæ, quæ illum procreant & producant. Sunt verò hæc vel internæ vel externæ.

V I I I.

Causam ergò internam proximiorum puto esse vasorum sanguiflorum apertionem, siquidem omnis sanguinis profluvii causa consistat in qualecunque vasorum apertione. Triplici autem modo contingit hæc vasorum apertio, vel per rhexin, quando vasa ab humore quodam acido acri ac erodente aperiuntur, vel per diabrosin, quando sanguis per poros vasorum ob rare factam ac dilatatam tunicam profluit, transfudatque; vel per anastomosin, quando oscula seu vasorum orificia nimis aperta redduntur. Hic statim quæstio quædam incidit: nimirum an etiam ab anastomosi oriri possit sputum cruentum? Nonnullis hoc impossibile audit, ac hi statim inuicem & propugnant suam opinionem, asserentes, nihil unquam secundum naturæ cursum à venis adduci ad partes, verum omnem sanguinem reuehi ad cor, & præterea arterias nequaquam hiare in trachæam. Attamen quicquid horum sit, probabile saltim mihi videtur ob hanc rationem: quoniam observata nonnunquam fuit hæmoptysis in subjecto quodam plethorico, ubi sanguis in iusta quantitate, sine dolore & ulla molestia, imo cum *εὐφροία* fuit rejectus, ex quo satis constat, hanc excretionem minimè esse factam per rhexin nec per diabrosin, alias enim sanguis nequaquam esset excretus sine molestia, dolore, & cum *εὐφροία*. Ac dari anastomoses inter arteriam & venam pulmonalem cum ramulis asperæ arteriæ affirmat *Celeberrim. Bartholin. in Anat. S.* Per diabrosin fieri aliquando hæmoptysin, observavit in multis *Willisius*, quæ etiam ut plurimum phthisin produxerit.

I X.

Huic unicuique apertioni ausam præbent humores, lymphæ nempe & sanguis onerosi, tenues, crassi, & acres, congesti vel per *συναδρυσμὸν* & successivè in parte hac affecta ob pravam ipsius conformationem, atque malam vasorum texturam, vel per *πνευματισμὸν* confertim & cum impetu in organa respiratoria irruentes. Sic sanguis, si in singulari copia abundat, & turgescit & orgasmo quodam præditus, se in circulo suo continere nescit, verum exitum affectat in teneris pulmonum cellulis, hinc diducit, dilatat, referatque vasorum orificia, aperturam nunc adeptus motu suo progressivo promptè replet cellulas pulmonum aëreas, quibus repletis fortius concitatur ab aëre inspirato, & ex cellulis in bronchiorum ramificationes atque sic in asperam arteriam protruditur, quo protruso tussis ob irritatam internam asperæ arteriæ membranam foras eliminatur. Nam quicquid onerosum est, urget atque expellere desiderat natura nostra. Si lymphæ & sanguis nimis tenues, acres, erodentes audiunt, facillime arrodunt tenerrimam vasorum texturam fibrosam: hinc observamus, quod Scorbutici sæpissimè in hoc symptoma incurrant ob pravam sanguinis *διαθεσὴν*, siquidem ipsorum sanguis nimis acris ac stimulan reperitur. Si verò nimis acidi ac falsi, corrosivi sunt, eroduntur ac finduntur vasa, & sic largius profunditur purpura illa vitalis, quæ extravasata & stagnans quam promptissimè in pus abit, & tabem seu phthisin producit. Quod & affirmat Cous VII. aph. 15. inquit: à sanguinis sputo puris sputum, à puris sputo tabes &c. & VI. aph. 30. si sanguis in ventrem effusus fuerit, ut in pus vertatur, necesse est: quoniam omnis sanguis extravasatus grumescit ac ichorescit. Motus quoque sanguinis accusandus est, quando nimirum fervidior ac turgidior redditur à particulis sulphureis subtilissimis, excitato enim orgasmo ac affluxu majori rarescunt particule illæ, motusque infertur fortior, hinc majorem in molem expanduntur vasa, sanguisque littora sua transcendit, & exitum sollicitat vel per orificia vel per erosionem & rupturam vasorum.

X.

Chimici accusant in hoc symptomate salia alcalica, acria, lixiviosa. Etenim salia lixiviosa rarefaciunt sanguinem, acria stimulant, sicquæ efficiunt, ut majus spatium occupet sanguis, hinc distenduntur, eroduntur, aut planè finduntur vasa. Helmontius, ejusque affectæ omnem culpam ascribunt archæo pulmonum furibundo.

X I.

X I.

Perlustratis causis internis, exponendæ nunc veniunt causæ externæ seu procatarticae, quæ vel sanguinem augent, vel acrimoniam ac mordacitatem ipsi conciliant. Dicuntur autem illæ vel res naturales, vel non naturales, vel præter naturales.

X I I.

Ex naturalium serie accusandum est præ primis temperamentum calidum & siccum, seu uno verbo cholericum. Sanguis enim ipsorum multis gaudet particulis acribus, quæ redundantes in vasis pulmonalibus aperturam intentant, aperiendo orificia, vel exedendo membranas, vel corrodendo ac dirumpendo.

X I I I.

Ætas quoque in censum venit, siquidem una præ altera magis apta ac disposita nata est ad hunc affectum. Ut plurimum verò affligitur ætas Juvenilis, teste. *Coo. xxx. aph. 29.* Adolescentibus spuitiones sanguinis &c. Nam in hac ætate degentes sæpè sæpius laborant copia sanguinis, idonea ad vasorum rupturam: & in qua tenuitas & acrimonia, apta ad vasa erodenda, simul conspicitur. Vivunt & in hac ætate in victu largiores & incontinentiores, hinc acquirunt multum sanguinis acrioris. Et quod præcipuum ferè est, maximopere incumbunt ac se exercent imprimis tempore æstivo exercitiis pugillatoriis, saltatoriis, aliisque motibus corporis fortioribus, unde sanguis ob exercitia illa majorem motum accipit, majusque spatium acquirit. Etenim

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,

quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Sic sibi sputum sanguinis nimia saltatione acquisivit virgo quædam, uti refert *B. Rolfinc. in Ord. & Meth. spec.*

X I V.

Res non naturales si examinamus, primo se offert Aër, principium vitæ nostræ secundum *Excell. Dn. Bobn. in Circ. f. anat. phys.* Aëri nimium calido in sunt particulæ alcalicæ, subtiles, quæ humore sin corpore nostro exaltant, rarefaciunt, ac in motum majorem concitant. Aërem quoque frigidum tempore hyberno, quatenus causam dat catarrhis, ad producendam hæmoptysin idoneum esse affirmat Senex noster *v. aph. 24.* asserens: quod frigida, veluti nix & glacies, pectori sint adversa, & sanguinis eruptiones efficiant, quoniam aër frigidus, si fides habenda Recentioribus, multo acido constringente imprægnatus videtur,

videtur, quod findit fibras, & sanguinis profluvium infert. Hujus rei testimonium præbet focer D. Straußii, qui tempore hyemali flante-que vento boreali, cum ex aula rediret, in sputum sanguinis incidit vid. palæstr. Med. Stranf. Sic etiam patritius quidam, de quo Valeriol. l. 2. obs. 2., hyeme media sanguinem incopia ejecit ex pulmonibus. Reperiuntur & in aëre particulæ acriores corrosivæ, quæ inspiratu facilè exedunt ac corrodunt tenerimos vasorum ramulos, quibus exesis ac corrosis sine ulla mora profluit purpura illa vitalis. Hinc videmus, quod metallifossores ut plurimum obnoxii sint huic malo, ob particulas illas corrosivas, quas hauriunt in metallifodinis.

X V.

Quid cibi ad producendum hoc symptoma conferant, ii optimè testari possunt, qui maximo cum damno hoc sunt experti. Experientia enim, rerum omnium magistra, constat, eos sputo cruento præsertim tentari, qui cibis generosis ac succiplenis in nimia quantitate utuntur, quoniam copia sanguinis augetur, & ut exitum tentet, excutitur. Siquidem juxta Hippocr. 11. aph. 51. πᾶν τὸ πολὺ τῆ φύσεως πολέμιον omne nimium Naturæ sit inimicum. Idem etiam malum incurrunt illi, quibus alimenta sale ac aromatibus condita, acria, continuo in usu sunt, hinc rarefiunt humores, motusque impetuosior ac acrimonia infertur. Neque sicco pede hic prætereunda sunt medicamenta, præcipuè si singulari quadam acredine sunt prædita, qualia sunt aloës, ruyphorb. & cætera purgantia fere omnia; item corrosiva, acida, ut spir. vitriol. nitr. &c.

X V I.

Non minus hic referendus est potus. Sic illi ab hoc symptomate sæpe sæpius vexantur, qui nimio vini generosi potu delectantur, ac Baccho litant: quoniam vinum sanguini calorem & stimulum addit, ac ad exorbitantiam invitat: siquidem

Nox, & amor, vinumque nihil peperere salubris.

Comprobat hoc suo exemplo studiosus quidam, qui à nimia vini ingurgitatione in sputum cruentum incidit, referente Mæb. in fund. Med. phys. c. 13. Ab usu cerevisiæ albæ & tabaci observavit Schensfeld. l. 1. histor. Huc spectant quoque thermæ, quæ, quicquid agunt, semper ab sal alcalicum agunt. Sic lugubre exemplum observavit Willis. pharm. rat. p. 2. in insigni Juvene, qui ab usu thermarum, dum paralyti post cachexiam laboraret, contraxerit hæmoptysin.

XVII.

Idem iudicium esto de reliquis rebus non naturalibus, ut sunt motus & quies, excreta & retenta. Sic sæpius contingit sputum eruentum à motu nimio vel totius corporis, vel thoracis solum, à risu nimio; quale annotavit *Zac. Lusit. lib. 7. histor. pr. c. 6.* ab altiore respiratione, clamore, tussi fortiori, loquela multa & gravi, uti observavit *Schulz. in Eph. Germ. ann. 14. obs. 73. & c.*

XVIII.

Deniquè animi pathemata obstetricantur huic malo. Sic ira, furor brevis secundum poëtam, perturbat Spiritus, ac inducit non parvam sanguinis turgescenciam. Mœror, tristitia, pulmonibus maximo pereversa, ansam dant, dum imminuendo motum acidum acré augment, quod virtute sua constrictoria constringit fibras, & sic vasculorum ruptionem infert.

XIX.

Ex præter naturalium classe culpanda venit suppressio fluxus menstrui, hæmorrhagiæ narium, teste *B. Rosinc. in Consil. Med. hæmorrhoidum*, quoniam sanguis hic non, uti deberet, per viam ordinariam excernitur, verum ad superiora regurgitat, atquè sic ob dyscrasiam & acrimoniam sputum sanguinis inducit. Ita & suum symbolum conferunt catarrahi falsi, casus ab alto, vulnere, ac plura alia.

XX.

Producta nunc hujus symptomatis sunt 1. Tussis, quoniam vix aliter accidere licet, quin sanguis extravasatus irriter internam asperæ arteriæ membranam; quamquam *Rhod. Cent. 2. Obs. 32. & D. Wad.* Præceptor meus æternum colendus in *Eph. Germ. ann. 2.* annotavit graves hæmoptyses sine ulla tussi, tamen hoc evenit ob sanguinis *α' δ'ρῶς ἢ β' δ'ρῶς* confertim & cum impetu profluvium. 2. Respiratio difficilis, siquidem vesiculosa pulmonum substantia loco aëris sanguine repleta, impeditur justa ac debita vesicularum dilatatio: cum ordinariò vesiculæ illæ deberent patulæ esse, ut conciderè ac dilatari possent.

XXI.

Enarratis sic causis internis externisque seu procatarteticis, necessarium erit, ut diagnosin tradam, ex quibus nimirum signis dignosci liceat hoc symptoma. Quamquam autem perlonga signorum præcipuè imminentis & præsentis sputi cruenti enarratione minimè indigeat,
cum

cum hæc omnia per se jam pateant, veruntamen quædam ratione sub-
 jecti & causarum adducere mihi perplacet. Ratione ergo subjecti seu
 partis affectæ attendendum est, an sputum cruentum sit essenziale, an
 vero sympathicum? & oriatur ab evacuatione quadam sanguinis or-
 dinaria intermissa? An ex faucibus? An ex utroque pulmone pro-
 fluat? Si uterque pulmo fomitem alat, eliminatur purpura vitalis ut
 plurimum spumosa ac florida æquali ductu per pectus, & tensio gravi-
 tasuè æqualis sentitur. Si fauces ansam suppeditant, conspicitur san-
 guis ruber, paucus, excretus sine ulla tussi, aut saltem non adeo vi-
 hementi. Si ex vitio evacuationis intermissæ contingit, signa ipsius
 sunt inspicienda, & insimul observandus dolor hypochondrio-
 rum.

Ratione causarum inquirendum est, an gravitas ac vasorum reple-
 tio adsit, & sanguis sine dolore, cum *in phœis* excernatur? quod
 certum iudicium præbet, factam esse hæmopyrin per anastomosis.
 Uterius considerandum est, an cum dolore quodam ex copia san-
 guinis acrioris, vel vulneribus, ulceribus &c. contingat? tunc rhexin
 vasorum indicat. Denique attendendum est, an emergat ex catarrho
 quodam, quod cognoscitur ex sanguine malè colorato.

X X I I.

Signa prognostica quod attinet, fatendum est, quod perse & in-
 genere lethalis nequaquam dici possit, verum admodum difficilis cu-
 ratu sit hæc affectio. Nam pulmones, ut subjectum hujus sym-
 ptomatis, siquæ pars ulla, facillimè corrumpuntur, ac purulenti red-
 duntur: hinc optimè Cœus pronunciavit *ἀσπυρῶν τῶν πνευμάτων φθόνος*.
 Reperitur autem curatu difficillimum sputum sanguinis ob motum
 pulmonum continuum, tenerrimamque vasorum conformationem,
 quæ non promptè consolidari possunt. Attamen curati fuerunt quam-
 plurimi, qui tussiendo sanguinem rejecerunt, uti id testatur *Galen.*
l. v. meth. med. Periculosum est, si corpori morbo aliquo *v. gr.*
scorbuto, calculo &c. affecto contingit. Periculosum est, si obesis
 obveniat, teste *Lang. in Epist. xi. l. i.* quoniam facilè suffocentur ob
 sanguinem in cellulis pulmonum derepentè ac confertim defluentem.
 Periculosius est, si ex rhexi & diabrosi oritur, affirmante *Cels. l. iv.*
de Medicin.

Ratione longitudinis & brevitatis notandum est, quod diu durare
 possit: sicuti exempla apud *Rhod. in obs. Barthol. in Act. Hassn.* aliosque

observata reperiuntur, ubi ad plures annos homines hoc malo laborarunt. Sic quoque diurnum periodicum sanguinis sputum observavit *Amat. Lusit. Cent. vj.* ubi æger interdum sanguinem singulis horis semel excrevit, noctu vero planè nihil. Modus denique eventus considerandus est, Etenim non ritè curatum vel etiam neglectum promptè in pus abit, atque sic tabem aut phthisin producit, unde verum est illud prognosticon Hippocraticum *vii. aph. 15. 16.* à sanguinis sputo puris sputum, à puris sputo tabes &c. Salutaris eventus est sperandus, si sit citò cessans & absque febre.

X X I I I.

His pro instituti ratione præmissis, superest, ut paucis ea tradam, quæ citò, tutò, ac jucundè primò impetuosum sanguinis motum ac in pulmonibus influxum inhibent, & avertunt, deinde etiam quæ sanguinis pravam *Sed. Seciv* emendant, & vasa consolidant. Scopis hisce inserviunt auxilia extrinsecus desumpta, nimirum Chyrurgico, pharmaceutico, atque diætetico.

X X I V.

Ex Chyrurgico fonte huc spectat venæ sectio, quam an liceat hic instituere meritò in dubium vocatur? *Erisistratus* & post eum *Helmontius* penitus venæ sectionem proscribunt è foro Medico tanquam perniciosissimum quid: attamen quicquid sit, hic optimo cum successu venam secare licet, si plethora quædam urgeat, si intermissio evacuationis sanguinis ordinariæ adsit, ut tali modo sanguinis copia immineatur, impetus ipsius cohibeatur, ne amplius confertim & cum impetu in vas pulmonalibus irruat, eaque distendat. Locum quod attingit, non adedò circa hunc quis sollicitus esse debet meâ quidem opinione. Potest autem venæ sectio administrari vel in brachio vel in pede vel alibi, prout Medico Rationali placuerit, ac sic sanguis dimittitur, quamdiu vires ægri respondeant, non usque ad animi deliquium, uti *Hipp. L. de vict. acut. & Galen. Aph. 5. Comm. 23. vult.* Licet & reiterare, venæ sectionem, si necessitas urget, ac pectoris quædam gravitas perferentur.

X X V.

Venæ sectionis vicem obire solent Cucurbitulæ scarificatæ & non scarificatæ, ad quas Nonnulli tanquam ad anchoram sacram confugiunt, è contra alii damnant has ut inutile remedii genus. Verum experientiâ constat, illas sæpè sæpius singulare quid præstitisse, & non esse rejiciendas

endas ob eam causam, quod non semper eundem effectum, quem meritò deberent, præsent. In hoc symptomate verò magis conveniant præservandi, quàm curandi sine.

X X V I.

Ex fonte Pharmaceutico tanquam ex largissima remediorum scaturigine primò se sistunt purgantia, quæ in hoc casu nequaquam sunt in usum vocanda. Nam purgantia præprimis fortiora juxta *Clariff. Dn. Craan in Reg.* orgasmum & fluxum sanguinis impetuosum aut augent, aut periculum inducunt, ne effluxus sedatus iterum redeat. Si verò in toto corporis habitu varios humores vitiosos stabulantur, proficua erunt evacuantia leniora temperata, *vg. rhabarbarina, pulp. tamarind. mann. calabr. passul. pruna, cass. senn. sirup. rosar. solutiv. de cichor. cum rhabarb. crystall. tart. &c.* Clysteres quoque lenientes adhiberi possunt, si alvus segnius suum faciat officium, & astricta sit.

X X V I I.

Vomitoria, quamquam in multis morbis magni sunt usus, tamen in hoc symptomate abesse debent, quia conatu illo fortiori concutuntur pulmones, hinc ansam præbent dilatationi vasorum majori. Sic quoque vomitoriorum usum in hoc malo rejicit *Cl. Dn. Deckers Exerc. Med. Pr.*

X X V I I I.

Missis his universalibus, major pravæ sanguinis diathesis respectus erit habendus, ut sanguinis orgasmus ac æstus corrigatur, fluor in hi-beatur, acrimonia temperetur, grumi resolvantur, ac tandem vasa consolidentur. Corrigunt sanguinis orgasmum ac æstum refrigerantia, ut sunt *aqv. & succ. burs. pastor. plantag. succ. & sirup. portulac. valdoperè commendatus ab Et mullero, sir. pap. rhead. succ. urtic. min. aqv. decoctionis seu succ. cydon.,* quem deprædicat Lindanus, qui ait: illum ter quaterve de die ad *cochl. iij.* sumtum absquè Saccharo, præmissa venæ sectione, hæmotypsin sistere. Spectant huc spiritus acidi, ut *nitr. vitriol. &c.* qui tamen non, nisi vitio lienis aut massæ sanguineæ symptomata accidunt, sunt adhibendi, docente experientiâ *Excell. Dn. Wedel. in Am. mat. med. p. 500.* Nec opiata hic sunt omittenda, quæ, quatenus motum humorum rapidiorem sedant, optimo cum successu conjunguntur cum refrigerantibus, & certè frustraneum videtur, affectum hunc sine opiatis curare velle. Sic sæpius ad inhibendum sanguinis motum assumsit *B. Schenck. land. opiat. ad Bj.* referente *D. Wedel. in Opiol. p. 79.*

XXXIX.

Inhibent fluorem, ac acrimoniam temperant, incrassantia, absorbentia & mucilaginosâ. Hunc in usum trahi possunt *rad. bistort. hb. agrimon. fol. mille fol. polygon. fl. rosar. balauft. sem. 4. frigida maj. pap. alb. fir. de Symp. Fern. myrt. corall. lap. cancr. hamatic. Tinct. pap. rb. gelat. C. C. ebor. limacum*, quam maximopere dilaudat *Burneri. in Thef. Med. pr. T. 2. excrescent. spongiosa cynorrhodii à Willisio commendata. &c.* Hic etiam non vilipendenda sunt martialia, quæ ob vim absorbendi acidum illud scorbuticum absorbent. Spectant & huc astringentia, ut *extract. torment. bistort. usu. cran. human. bol. armen. trag. gran. act. nuc. Mosch. rost. rhabarb. rost. croc. marc. astring. Tinct. Terr. japon. pulv. styptic. Heurn. Groll. Wed.* qui optimè conjungitur cum *lap. cancr. &c.* Quæ tamen omnia cum circum spectione sunt adhibenda, ne idem facinus committatur cum circumforaneo illo, qui Juveni à cantu vasculi alicujus ruptione laboranti emplastrum ex gypso, acacia, sanguine draconis &c. applicavit, à quo Juvenis est extinctus referente *Jacchin. in Comm. in L. ix. Rhas.* Optimo autem cum successu in usum duci possunt, si resolventibus ut *lap. cancr. maritantum*, ut monet experientiâ edoctus *Excell. Dn. Wed. in Theorem. S.*

XXX.

Grumos resolvunt & vasa disrupta consolidant *rad. glycirrh. ir. flor. helen. hb. agrimon. alchymill. virg. aur. pyrol. scord. veronic. scabios. flor. bngloss. hyperic. scabios. extract. scabios. bellid. conf. heder. terrest.*, quam miralem in sputo sanguinis vocat *Ermüll. oc. cancr. sperm. cet. corall. antimon. diaphoret. agu. millefol. cerefol. fl. sulph. bals. sulph. anisar. mum. spec. diamum. Myns. pulv. ad cas. August. haly contra pibis. pector. & pleurit. Wed. antihect. Poter. essent. traumar. hyperic. Elix. pector. Wed. fir. dialth. Fern. hyssop. capill. vener. ol. lini. in Ephem. Germ. ann. iv. depradicatum &c.* Sic huc quoque referenda sunt omnia Thoracica & antiphthistica. Nec in utile erit hoc Electuarium.

R. conf. rosar. ℥j

symp. hb. cost. an. ℥b.

sem. hyosc. alb. ℥ss.

corall. lap. hamatic. ppt. aa. ℥b.

pulv. haly contr. phibis. ℥j.

extract. scabios.

agrimon. bellid. aa. gr. v.

flr.

sr. pap. rhead q. s. m. f. Elect.

X X X I.

Si à suppressis mensibus oriatur sputum cruentum, adhibenda sunt, præmissa venæsectione, aperientia uterina, ut *rosmar. artemis. tartar. vitriolat. arcan. dupl. bor. vener. &c.* Si ab alia quadam causa præternaturali, nimirum à suppressione hæmorrhoidum, hæmorrhagiæ narium, vomica pulmonum &c. tunc ea in usum cedunt, quæ suppressionem tollunt, & antiphthifica audiunt, & grumos resolvunt.

X X X I I.

Ex fontè diætetico demùm sunt vitanda acria, salsa, acida, imò omnia illa, quæ calorem, motum, orgasmum ac stimulum sanguini conciliant, & ad exorbitantiam invitant. Vinum quoque abesse debet.

X X X I I I.

Plura quidem addere deberem, quæ tam ad explicationem quam etiam ad curationem necessaria viderentur, sed brevitati studeo, quapropter nunc

vela traho, & terris festino adducere proram,
simulque rogans, ut hanc disputationem planè incultam & in expolitam unus quisque æquo animo accipere velit, Deo Ter optimo Maximo sit Gloria.

F I N I S.



DISPUTATIO JURIDICA
IN ACADEMIA
1721

AD ELIUSORIBUS

IOANNIS GEORGI GRAEVI

ROGATUS MARCELLUS VI TERS D WELZINGE



TRAVECTIUM RHEINUM

Ex Officina FRANCISCO HELM, Aedemur
Typographi, clo Jac xer